

in se vastiorem processum seu districtum, et quoad justitiae administrationem et deportandae Contributionis commoditatem securitatemque; cum hyeme et vere rigor hyemis ac nivium extraordinaria copia, aestate vero Latronum viarumque insidiatorum grassatio Flumen et Buccarim transitum et communicationem impediant, Zagrabiae commodiorem et nexum habentem, amittere deberet, quoad eandem avelli praeconceptam actualis ejusdem possessorij partem jurisdictio et ejus effectus in salvo conserventur.

In ordine porro ad benigne nobis intimatam excorporationem, quae partim in cambium Regno incorporandorum et per Statum Militarem cedendorum, partim vero ex ratione subversantis cujuscumque inclavationis, erga Aulae Bellici Consilii projectum tam ampla nobis proponitur, ut politicam Regni, quae jam attrita exhaustaque est, jurisdictionem sensibiliter et extreme coarctet; dolorem quem inde privati aequae ac publicum concepimus, non possumus coram Majestate Vestra Sacratissima non exponere. Dolorem hunc nova circumstantia, parte ab una per Militarem statum Banalium Confiniorum facti via etiam partis Bonorum Topologicz sub nomine Possessionis Szunya excorporari projectatae, per Colonellum a Bottlichky attentata occupatio et Proprietarii Comitis Keglevich in juribus suis turbatio, parte ab altera Comitatus quippe ita dicti Szeverinensis ante resignationem etiam Partium ad indubitam Zagrabienis Comitatus jurisdictionem pertinentium apprehensio et nondum legaliter instaurati ejusdem Comitatus, perdurante hac Generali Regni Congregatione in 10. Mensis Novembris Congregatione praefixa. Si tamen incunabula nostra ac Statum et Sortem praesentem nostram repetamus, videmus et vere cum dolore reminiscimur Bonorum et facultatum amplissimam partem per inimicum, qui in hoc aperto bellorum Theatro nos ante-murale Regni incursionibus et rapinis semper infestabat, occupatam et dirreptam, aliam in captivitatum redemptionem et lytrorum exolutionem cum extrema posteriorum nostrorum ruina conversam, supremam eamque maximam pro fundandis binis Generalatibus, Carlostadiensi uno et Varasdiensi altero, duplicatis item amplis Slavonicis et Banalibus Confiniis, adeoque in tutamen et defensionem Regni et Sacrae Coronae, imo aliarum etiam Majestatis Vestrae Sacratissimae haereditariarum provinciarum, per nos majoresque nostros jam abunde esse sacrificatam, ita quidem, ut exinde nullum propterea aequivalens praestitum sit; recenter etiam in annis 1767 et 1768, occasione localis Aulicae Commissionis, quae ad effectum Regni Legum ad accomodandas differentias inter Militarem et provincialem Statum vigentes et quaerimonias accomodandas operata est sub titulo stabilis et perpetuae Lineae tam ad Carlostadiensem Generalatum, quam alterum Varasdinensem, undique Provinciali jurisdictione cinctum, qui caeteroquin personali servientium et terreno amplo, supra videlicet competentiam servitii amplius ac in triginta sex mille jugeribus supernatante, abundat, cum factis de non secuturis amplius excorporationibus interpositis cautellis, de politica jurisdictione sensibilem partem sub eodem lineae stabilis ductus titulo amisimus, ut adeo, quid sola haec exigua provincia in obsequium Majestatis Vestrae Sacratissimae amplius sacrificare debeat aut possit, non inveniamus, potissimum autem, quod projectata haec per Aulae Bellicum Consilium excorporatio, si etiam a juribus Regni et Sacrae Coronae avulsionem non induceret, quam evidenter inducit systema illius, praeter excorporari projectorum amplissimorum Districtuum provinciali jurisdictioni pro futuro etiam praepjudiciosa sit. Clementissima Domina! tot et